

siderans exprimeret, inquiens: D. Pomeranus est grammaticus, & textus verba perpendit: ego sum dialecticus, & ordinem, contextum, membra, & consequentias considero: D. Jonas est Rhetor, & potest Oratorio lepore & splendore verborum, ornare & illustrare res: addidit, sed D. Martinus est omnia in omnibus, cui conferri nemo nostrum potest: quemadmodum Vuolfgangus Seuerus Caesaris Ferdinandi olim præceptor de Luthero scripsit:

Iapeti de gente prior, maiorq; Luthero
Nemo fuit, sed nec, credo, futurus erit.

Et cum aliquando Northusy D. Jonas audisset concionatores instituentes priuatis sermonibus collationem doctorum Ecclesie, singulis attribuentes certa dona, vel eloquentia, vel inuentionis, vel dispositionis, vel gestuum, & affectuum, ac Lutherum quoq; nominantes, dixit ille, de Luthero vobis, Viri optimi, tacendum est, cum nominatis concionatores nostræ ætatis, nos vel alios, nullum .n. ego noui, qui ei conferri possit, nos serpimus & balbutimus respectu ipsius, ipse recta erectus incedit, & pelagus habet verborum & rerum, ex quo guttulas haurimus, & riuis contenti sumus, ipse potest omnia vnus, quæ nos omnes non prestare, nedum perficere possumus. Et memini D. Philippum dicere de Carlstadio, eum aliquando

quando